



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu**

**Lamparter, Heinrich**

**Jngolstadii, 1662**

Epistola V. Ad Dominam Franciscam Velez De La Penna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43978**

statione mea, vel quonam alio in,  
 officio sim futurus. Vtinam illud  
 obtingat, quod divinis obsequijs  
 magis erit idoneum; id, quod mihi,  
 tibi que unice precor. Cuellaris  
 21. Jun. 1549.

EPISTOLA V.

*AD DOMINAM FRANCISCAM  
 VELEZ DE LA PENNA.*

DE SIGNIS PERFECTI  
 AMORIS DEI.

**G**ratia & amor DEI nostri sit  
 semper in anima tua, & habi-  
 tet in ea DEVS placidissime, velut  
 in Domo sua, occupans memo-  
 riam sanctis cogitationibus, intel-  
 lectum divinâ luce collustrans, in-  
 flammans denique voluntatem  
 cœlestium desideriorum incendiorum  
 ut jam neque intelligere aliud al-  
 lubescat, aut desiderare, præter unum  
 illum optimum maximum, Domi-  
 num, & Patrem nostrum, & ea, que  
 huic

huic grata, acceptaque sunt. Et quoniam triplex est integrè amanti officium, *Orare* scilicet, *Agere*, & *Pati*, ità velim hæc tria cures, ut satisfacias æterno Amatori tuo; dignissimo, quem infinitis, si in potestate nostra essent, amoribus complectare.

Primum igitur magni amoris argumentum est, nunquam non presentem tibi statuere DEVM tuum, eumque variatis affectibus, modò alloqui, modò gaudere & gratulari, quòd sit, qui est; jam gratias agere pro acceptis, jam novos favores petere, quibus adjura vehementius diligas; mox detestari amoris tui inconstantiam; dolere deinde, quòd non magis à quàm plurimis ametur; desiderare denique, ut promeritis ametur, colatur, adoretur ab omnibus. Et hoc ego voco, *orare*, & mentem ad DEVM elevatam habere.

Alterum sincerè diligentis signū est, promptè, & cum suavi quadam animi alacritate exequi præcipientis imperia, neque jota legis ullum, aut ullum apicem negligēdo. Non autem subiectione præceptis debita contentum esse, sed eò extendere obtemperandi studia, ut consilia quoque sequaris; neque illa curare solum, quæ bona sunt, sed ea quoque æmulari, quæ cum supra simplicis boni rationem assurgant, Deo gratiora, & ad divinæ gloriæ augmentum amplius aptiora sunt. En! alterum amantis argumentū, quod in *agendo* constitutum dixi.

Postremum, & utroque priore recensito manifestius, est jucunda animi *libertas & lætitia*, in quocunque calamitatum genere, sive fortunæ facultates, sive honorem, sive valetudinem demū offendit permittat Deus, ita obfirmato ad patiendum animo, ut neque amicorum

eorum aut familiarium, neque ho-  
stium, aut externorum turbare pos-  
sint obreſtationes & calumniæ,  
Sunt enim hæc Martyrium secretū,  
occultis quibusdam tormentis &  
supplicijs acerbum: sunt lentum  
& diuturnum testimonium divini  
amoris; cuius vehementiam, tan-  
tum abest, ut imminuat hæc affli-  
ctionum tempeſtas, ut novis illam  
potius ardoribus augeat.

Si qua ergo tibi amoris absolu-  
tissimi cura est, in his tribus te exer-  
ce: habes enim sufficientes occa-  
siones ad omnia. Profuerit etiam  
confiteri Patri Siguenta. Expe-  
ctandum tamen, dum cum illo  
tractare sit opportunum; erit au-  
tem, Deo dante, ut primū te  
convenerit. Commenda me Deo  
Domino nostro, & vehementer,  
quidem, pro indigentia meæ  
magnitudine. Oveti 7.

Martij 1597.

EPI-